



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

In Funere cujuslibet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

comparavit, qualem inveniunt talem Judici sistunt, sed mori placari non potest. In bonis operibus invenit De-functum, vobis relinquit. *Vive memor lecti.* Epictetus in Eucbiridio, *Mors & exilium, & omnia que in malis habentur, ob oculos tibi versentur quotidie, omnium verò maxime mors, sic nihil unquam humile cogitabis, nec impensè cupies quidquam.* Hoc memora, illa omnes coæquabit, & ex levi sæpè causa. Plin. lib. 7. c. 7. *Tu qui viribus corporis sis, tu qui fortuna munera amplexaris, tu quis semper in victoria mens est, tu qui te DEUM credis aliquo successu tumens, tanto perire potuisti, atque etiam hodie perire potes, quantum serpenti ictus dente, aut etiam ut Anacreon Poëta, acino ura passe: ut Fabius senator potò in lactis hausta uno pilo strangulatus.* Greg. Nazianz. orat. 16. *Ad imaginem DEI facti sumus, sed, Hec nostra temperatio est, ut cum imaginis dignitas nobis animos exulerit, pulvis eosdem deprimat contrahatque.* Juvenis es, potes cito mori, cor citius formatur quàm oculi, tamen oculi citius moriuntur. Hanc hereditatem relinquit nobis defunctus, claudio verbis Pl. 24. *Anima ejus in bonis demorabitur, & semen ejus hereditabit terram.*

In Funere cujuslibet.

ET sicut Abraham egreditur N. de domo sua, de cognatione vadit trans mare, valedicit vobis. Non redibis defuncte ad domum tuam, jam Filii in veste lugubri, non tali olim apparatu solebas progredi, pro curru feretrum. Eccl. 50. de Simone Sacerdote dicitur. *Circa illum corona Fratrum quasi plantatio cedri in monte Libano, sic circa illum steterunt quasi arborum palmarum, oblatio autem Domini in manibus eorum.* Ita circa vivum ibatur, at modò cupressi, faces, sola oblatio superest, omnes vovent Eccl. 17. *Vade in partes sæculi sancti cum viventi-*

tibus & dantibus confessionem DEO, ne demoreris in errore impiorum. Precabor & ego bene abeunti & equos quibus abit considerabo.

Jovinianus Cæsar iussit currum pingi cum tribus equis. Uni adscripsit. *Est non est.* Alteri *Domi non est.* Tertio *nihil est.* Primus notat vitam nostram, est sanitas quasi non esset, opes, &c. Mors ubique insidiatur. Venit ad Baltasarem Dan. 5. conjugantem. Est, ad imaginem DEI. cras esca vermium. Bern. *Post hominem vermis, post vermem fator & horor, sic in non hominem vertitur omnis homo.* Putabat Darius se reperturum thesauros in sepulchro, quia illi semiramis inscripserat. *Quicumque Rex pecuniâ indiguerit, aperto sepulchro quantum opus est capiat.* Aperuit, ossa reperit, & scripturam. *Nisi vir malus esses & pecuniarum inexplebilis appetitor non sanè loculos mortuorum commovisses.* Poterat dicere, est thesaurus, sed vidit, quia non est. *Quid de homine post mortem, non est. Homo putredo, & filius hominis vermis.* Tamen vivimus ac si semper futuri essemus, nutrimus nos, ac si non esca vermium, &c. Similes sumus aviculæ dictæ Ephemeron, unâ die vivit, & volitat huc illuc procurando victum ac si diu victura esset: Job. 10. *Homo natus de muliere brevi vivens tempore.* Hodie Rex. Veteres pingebant hominem nudum, velatis oculis, ligatâ dextra, tempus paulatim discerpit velum, ita Richard. Brixian. in symb. *Nudus, quia nudus sum egressus de utero Matris meæ.* Job. 1. *Nudus intellectûs usu; clausi oculi, non videmus finem vitæ, est tamen est.* Quia est tempus nunc miserendi, pœnitentiæ sed brevi videbis. *Non est.* Tempus erit vindictæ, tempus ultionis, manus ligata ad bona opera, sed tempus destruet velum, videbis, *non est.* Est modò Illustrissimus, &c. Scribit mors *non est,* quia es *imbecillitatis exemplum, temporis spulium, fortune lusus, inconstantia imago, invidia & calamitatis trun-*

tina,

nam ut. Quidam hominem definiuit. Considerate eos qui paulò ante erant potentes, &c. Quid sunt? pulvis &c. Videte ossa, an dignoscetis quis Rex, seruus &c. Salomon &c. Ubi modernus N? ibi ubi Majores ejus, isti & illi, in cinere, hæc respiciens Bern. *Quid profunt diuitia, quid delicia, quid honores? Diuitia non liberant hominem à morte, delicia non liberant à verme, honores non liberant à fetore, nam qui modò sedit dives & gloriosus modò jacet pauper in tumulo.* Videmus id in hoc Defuncto, fuit, &c. Ac modò, 1. Esd. 14. *Profectus quasi stirps inutilis, pollutus & obvolutus.* à Matre diuisus, à Patre, &c. *Est non est.*

Alteri equo inscripserat, *Domi non est.* Prima domus est mundus, ejus parietes elementa, tectum est cœlum. Magna domus, tamen ex nihilo facta. Alia est domus quam incolimus, talibus olim non utebantur. In Fasciculo temporum scribitur, quòd Matusalem cùm jam exegisset annos 500. & egit sub arbore, audivit vocem. *Adhuc tibi alii ferè 500. anna supersunt anni, bene poteris construere domum ubi degas.* Respondit. *Si non amplius sim victurus Domine, non mihi opus est domo, sub arborum ramis vel in speluncis terra degam.* Tertia domus est corpus nostrum. 2. Cor. 5. *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationes dissolvatur, domum non manu factam habemus in cœlis.* Domus hæc variis constat, de anima, quidam dubitabant in qua parte habitaret, alii in capite, alii in corde, alii in sanguine. Sed veritas est, totam esse in toto, & totam in qualibet parte corporis. Si quæremus animam defuncti in domo mundi, erit, est immortalis, sed in domibus, in corpore, *Domi non est.* In partes sæculi sancti abiit, corpus in terra. Ægyptii sepulchris adscribebant. *Si fueritis sicut hi, eritis sicut illi.* Aug. de cura pro mortuis cap. 4. Considerando quòd sepulchra dicantur monumenta, quasi monumenta mentem.

mentem, ita ait. *Ibi monet mentem nostram, ut pro defunctis oremus, sicut enim ipse pauper visio eius pauper taceat, elemosinam à vobis & suffragia poscit. Videmus Domi non est, effertur cum fletu, deinde bona diripiuntur, nemo defunctis succurrit, Bene quidam pinxit manum extentam, Inscr: da & accipo. Accipis successionem da pauperibus, Pocillatori Pharaonis post explicationem somni dixit Joseph. Memento mei cum tibi bene erit, fac mecum misericordiam ut suggeras Pharaoni, ut educat me de isto carcere. Hoc ad vos dicit defunctus, & clamat ut Job. 16. Misere mei saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Jam defunctus Domi non est. Valedixit, bona vobis reliquit, ut Patriæ seruiatis, &c. Sed etiam animæ proficit, sicut Aaron Num. 16. & ex ejus domo sacerdotem. Stans inter mortuos & viventes, pro populo deprecatus est, & plaga cessavit.*

Tertius equus, cui inscriptum nihil est, potest significare peccatum. Aug. *Peccatum nihil est, & nihil fiunt homines cum peccant. Quia in omni peccato includitur privatio, quia homo privatus cælo, gratiâ, & sicut dives divitiis exurit, de tali diuinus in nihilum abiit, amittit peccator. Ad nihilum redactus sum & nescivi. Hoc ipsum servit defunctis. Alphonfus Aragonum Rex ut hoc nihilum exprimeret, tres cifras pingebat, Inscrpt. Nihil fumus, nihil sumus, nihil erimus, concordat cum Sap. 4. Nos ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus quasi non fuerimus. Carolus Magnus in suo Epitaphio scripsit. Fui, non sum, terra sum. Quartus ex defuncto quid sit? nihil, fui antea, &c.*

Sic quartus Equus ex Apoc. Rufus, hic designat bellatores in Domo mortui 1. Mach. 3. *De quorum præiis narrabant omnes gentes. Afflictati juncti cum NN. valebat & ipse tam armis quam consilio & vos posteris. Ambulabitis per omnes vias Patris vestri.*

Sit quintus Zach. equus varius maculosus, notat inconstantiam fortunæ. Hodie quis honoratur, cras ridetur. Belisarius Perlas vicit, Reges duos cepit, Romam muris cinxit, deinde à Justiniano Cæsare bonis & oculis exutus mendicabat. Fortuna dicitur à ferendo, quod offerat malum post bonum, vel est Fortuna quasi vertuna quia omnia vertit; quare defunctus omnia contemnebat mundi, & muniebat se per hanc militatorem. Ambr. de Pœnit. c. 14. *Transi secularia, & cecidisse aspicias altitudines impiorum. Jactant se, & cadunt.*

Sextus equus ex Apoc. pallidus, Mors Sancta. Frat. devotus N. totâ vitâ sed & in morte, jejunabat, quia ut Ambr. lib. de Elia. *Jejunium est mors culpa, excidium pœna, remedium salutis, radix gratie, fundamentum castitatis. Hoc gradu civitas ad DEUM pervenit.* At alii luxui, potationi vacant. Ambr. de Elia c. 1. *Bibamus pro salute exercituum, pro Comitum virtute, & hæc vota ad DEUM pervenire judicant à stultitia hominum, qui ebrietatem sacrificium putant.* Et tandiu clamant *Vivat* donec ut mortui procumbant, & supra aliquos loco *vivat* dum feruntur ad sepulchrum, canitur *Salve Regina*. Devotionem defuncti N. sequebatur misericordia in pauperes, ideo cor nobis est in parte sinistra ut ad affectus sinistra fortunâ inclinemus. Ita N. potest dicere cum Aug. *Da quia dedi, fac quia feci dimitte quia dimisi.* Fac misericordiam DEUS, dimitte peccata. Sequebatur concordia quæ res unit. Turris Babel propter discordiam non est absoluta. Hortabatur Cornelia filios Græchos. *Estiam vos atque etiam obtestor ut fraterno inter vos animo vivatis, memores, semper filios meos esse, & quo die vestram audierem discordiam, illum diem extremum vitæ meæ futurum.* Hoc ad filios defunctus loquitur. Silurus Scythæ habuit 80. filios, totidem ligavit sagittas in fascem, nemo potuit frangere omnes, sed singulas facillè, ita si uniti sint fratres, Secuta in defuncto contritio. Hos

Hos equos considero in curru funebri defuncti. *Ferculum sibi fecit Salomon de lignis Libani. Columnas argenteas, culcitram auream, gradus purpureos, simili defunctus devehitur. Jam illi precemur. Uade in partes seculi sancti. Ultimum reddunt obsequium Filii, famuli, subditi, abi eò, ubi neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.*

In Funere cujuslibet Fragmentum.

Nemo in tam brevi tempore gesta defuncti potest explicare. Deduceret quis à Patre, insignis, à Matre, sed ut Puteanus. *Quorsum orationis splendor in lugubri horrore? quorsum verborum officiosa circa sepeliendos mortuos sollicitudo? Otiosa cura ea mortuis ingerere, quæ nec illi sentiunt & nec eorum exemplo docemur illa contemnere.* Sed tamen Eccl. 22. *Plora super mortuum quia defecit lux ejus, Plora non perora, hoc faciam, quia Seneca de Consol. impietas in funeribus verba fundere, ubi etiam renitentibus lachrymæ excidunt, taceat ergo lingua ubi loquitur pupilla, & animum perfusa levat.*

De morte justii Pl. 115. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* Si mors, quæ est privatio, potius pretiosum corpus. De anima. 2. Cor. 4. *Habemus thesaurum in vasis fictilibus itaque pretiosior, sed tamen, Pl. 33. Custodit Dominus ossa sanctorum suorum.* Quare Joseph adjuravit Fratres. *Asportate ossa mea vobiscum de loco isto, hunc thesaurum hodie spectamus.* Alterum quod hic deponitur est Spes 2. Theff. 2. *Gloriamur in spe gloriæ filiorum DEI.* Spes terrena Sap. 3. *Vacua est spes illorum, Cælestis Rom. 5. Non confundit, ut humana.* Theodosius Imp. sepulchro suo curavit inscribi. *sanitas. Spem suam ostendens, Job. 19. Illis se solatus. scio quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, reposita hæc*